



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KANDINA** IN BENINO NOVA DIOECESIS
KANDINA APPELLANDA ERIGITUR « In apparando bismillesimo anno suas expleant partes particulares Ecclesiae »
(*Tertio millennio adveniente*, 25): Nos quidem de unaquaque solliciti sumus. Nunc vero, cum ex postulatum sit ut
dioecesis Parakuensis, in Benino, divideretur, opportunum duximus ad aeternam istius dominici gregis salutem, ex
eiusdem territorio dioecesis Parakuensis partem distrahere, scilicet districtus civiles vulgo dictos « Kandi », a Banikoara
», « Gogonou », « Ségbana », « Malanville » et « Karimama », et novam ex iis dioecesim erigere. Ideo, re mature
deliberata auditoque voto Venerabilis Fratris Andreae Dupuy, Archiepiscopi titulo Saelesiensis et Nuntii Apostolici in
Benino, nec non Congregationis pro Gentium Evangelizatione, supra dictum territorium constituimus dioecesim
Kandinam nuncupandam, eamque Metropolitanæ Ecclesiae Cotonuensi suffraganeam atque iurisdictioni Congregationis
pro Gentium Evangelizatione obnoxiam facimus. Sedem novae dioecesis in urbe vulgo « Kandi » ponimus, ecclesiam
vero Deo in honorem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo dicatam in eadem urbe exstantem ad gradum ecclesiae
Cathedralis evehimus, iuribus ac privilegiis concessis quae ad eiusmodi templa spectant. Ad sacrorum alumnorum
institutionem quod attinet, iuris communis servantur praescripta, prae oculis Congregationis pro Institutione Catholica
habitis praeceptis. Quod autem ad novae dioecesis pertinet regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, sede
vacante administratoris electionem, fidelium iura horumque similia, servantur quae sacri canones praescribunt. Cum
novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius
territorio officium ecclesiasticum habent, ceteri vero sacerdotes Seminarii que tirones et clerici illi Sedi in cuius territorio
legitimum detinent domicilium. Documenta autem et acta quae conditam dioecesim respiciunt, ad eiusdem Curiam
mittantur atque ibidem in tabulario servantur. Haec autem, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili
Fratrī Andreae Dupuy, Archiepiscopo titulo Saelesiensi et Nuntio Apostolico in Benino, vel, absente eo, illi qui negotia
curat Apostolicae Sedis in eadem regione, ac omnes eis tribuimus necessarias et convenientes facultates, etiam
subdelegandi quemvis virum in dignitate ecclesiastica constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Gentium
Evangelizatione sincerum actus effectae executionis exemplar sedulo mittendi. Has denique Litteras Nostras firmas
esse nunc et in posterum volumus, quibuslibet rebus haud quaquam obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum,
die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri
septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 6, pp. 539-540 © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana